Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

Forsitan emeritos precium mercem que vide
Rusticus attendet expuetque caput
Dicet et stulte quoniam versutior usque
Ad mare non potuit esse repertus eo
Magna puer vidi sed adhuc maiora videbo
Si fuero sospes et mihi vita comes
Tempora Brunelli mea sunt que quondam fuerunt
Alterius vitis est non habuisse vitem
Pontificis tanti nunc tempora sunt in honore
Que prius alterius conditionis erant
Cuius et ipsa parens que nunc connubia spernit
Auguror assuetus prona subibit onus
Deferet et saccum pro eius ut ante solebat
Desinit et didici possibilis esse prius
Plurima multotiens que vidimus ante videmus
Sustineamus adhuc nec moveamur in hiis

Timor Brunelli necessarius

Est quoque quod timeo quoniam de iure timere
Debeo non modicum quod nocuisse prius
Urbis propositus fuit nisi forte coactus
Non me suspiciet congrua causa subest
Namque meo patri saccum summa que farine
Surripuit furti res bene nota fuit
Rumor erat celebris vicinia tota sciebat
Urbs est tota michi testis et ipse deus
Conductore sed mei genitoris in aulam
Tres pariter fures tercius ipse fuit
Sequitur et noctu venientes tollere plura
Posuisse sed si licuisset eis

197